



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XIII. De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

55. dist. 50. Pœna autem ordinari se facientis sine examine, & furtivè se immiscentis ordinandis, est suspensio per sententiam, licèt aliàs fuisset dignus, per *can. fin. d. 24.* Siquis autem suum impedimentum in Examine reticeat, deponi jubetur *can. 55. cit.* quod intelligo de impedimento aliàs manifesto, vel postea comperto, & de foro externo; nam puto, probabilius esse, Ordinandum non teneri in conscientia manifestare impedimentum vel defectum occultum Juris Ecclesiastici; quia tam difficilis obligatio vel se ipsum infamandi, vel impediendi à tanto favore, quam consequitur ex Ordinibus, non satis probatur.

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

SUMMARIUM.

I. *Quid in hoc Titulo tradatur.*

I **D**ico. Episcopus, qui renuntiavit vel loco tantum, h. e. curæ, officio, & administrationi Episcopatus; vel loco & dignitati simul, h. e. Ordini Episcopali, vel potiùs hujus executioni, quia v. g. timet depositionem ob delictum, ordinat validè quidem, at non licitè, etiam cum licentia alicujus Episcopi, si confert Ordines Majores. *c. 1. h. t.* quòd validè ordinet, patet indè, quòd retineat characterem Episcopalem, utpote inaufertibilem; quòd non licitè, quia ipsi prohibe-

tue

De Ordinatis ab Episcopo &c. 171

tur *c. 1. cit.* Unde & recipiens Ordines Majores à tali non potest exercere Ordines, donec cum ipso dispensetur. *c. 1. cit.* Episcopus autem, qui tantum renuntiavit loco, non *dignitati simul*, ordinat licitè, quando ordinat cum licentia alicujus Episcopi, cujus subditum ordinat. *c. 1. cit.* illicitè verò, si sine licentia; quia post renuntiationem non amplius habet subditos.

TITULUS XIV.

De Ætate, & Qualitate, & Ordine Præficiendorum.

SUMMARIUM.

1. *Qualis ætas in promovendo ad beneficium,*
2. *Et qualis Ordo requiratur.*
3. *Et quænam aliæ qualitates.*
4. *An valeat collatio beneficii indigno facta,*
5. *Et nondum habenti debitum Ordinem.*
6. *Beneficia Curata Dignioribus conferenda.*

Nomine præficiendorum veniunt hic illi, de quorum promotione ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas agitur: quales igitur hi esse debeant, hoc loco examinatur.

Dico I. *Ætas* in promovendis est varia, à Jure Novissimo Tridentini potissimum determinata, & quidem ad consequendum beneficium quodcumque, etiam simplex, annus 14. *Trid. sess. 23. c. 6. de ref.* ad dignitates, curam animarum non habent.